Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 823
Quelle:
Copyright:

ßiſſimi et probatiſſimi uiri diuerſo quidem ſtilo &c. et finiunt notabili dicto: *Sciat ſe non eſſe epiſcopum, qui preeſſe deſiderat, non prodeſſe.*

Ultimis binis *Paginis* Manus quaedam Sec. XIV. currente penna quaedam adſcripſit *Homiletica* de Reſurrectione et Paſſione Chriſti.

CCCLXVIII.

R. 2186 Codex membraneus lat. in confinio Sec. XIV. et XV. pulcre perſcriptus, Folior. 130. f. min. coloribus illuſtratus et olim *Carthuſiae SS. Trinit. in Königsfeld* prope *Brunnam Moravorum* continet ſequentia: I. *Incipit Liber Caſſiodori de Anima.* Praeit *Capitum* Elenchus meliore, ut videtur, diviſione, quam in Edit. *Garetii Rotomag.* 1679. T. II. p. 627. f. quacum Textum noſtrum contuli, ſatisque concordem reperi, niſi quod in *C. de Virtutibus moralibus Animae* Definitio *Temperantiae* ſuo loco mota, et calci praecedentis *C.* perperam adſuta eſt. Ad finem haec Rubrica legitur: *Scriptum anno domini Milleſimo trecenteſimo nonageſimo nono Infra octabas Epifanie domini feria ſexta hora prima noctis per manus Nicolai mendlini wagendrüſſel de hoſtradicz.*

II. *fol.* 24. continuo ſequitur: *Magni Aurelij Caſſiodori Senatoris viri clariſſimi et Illuſtris. exqueſtoris pallatij. exconſulis ordinarij. exmagiſtri officij. prepoſiti atque patritij Libri de Amicitia Incipit prologus.* Ita nempe: *Quoniam diminute ſunt veritates a filijs hominum et refrigeſcente caritate* &c.

III. *fol.* 40. p. 2. *Incipit libellus de caritate ſeu de dilectione dei.* Initium: *Sicut praecedentia docuerunt, amicitia vera non eſt* &c. Dixi de II. his Libellis non *Caſſiodoro*, ſed *Petro Bleſenſi* inſcribendis *Vol.* I. P. I. *col.* 928. quo te, ſi lubitum eſt, refer. Omnia haec III. Opuſcula notis marginum gaudent, quibus vocum minus obviarum ſignificatus etymologice et grammatice explicatur.

IV. *fol.* 83. p. 2. *Incipit Tractatus vtiliſſimus de conſcientia ſancti Bernhardi abbatis clareuallen.* Ita quidem: *Conſcientia in qua anima perpetuo eſt manſura edificanda eſt. ſed prius mundanda* &c. Nec *Bernhardi* eſt, nec hic integer, ſed defloratione C. I. VI. VII. X. XI. et XV. Integer extat in Opp. *Bernhardi Pariſ.* 1690. T. V. *col.* 335. inſcriptus *de Interiori Domo.* Ad calcem nobis iterum minio: *Per manus Nicolay Mendlini wagendrüſſel de hoſtradicz.* Eodem anno, ſed *feria quarta ante oſtenſionem Reliquiarum.* De hac conſulenda vetuſta Calendaria Eccleſiae *Olomucenſis. Hoſtradicz* Circuli *Znoymenſis* Oppidum eſt.

V. *fol.* 88. praemiſſo de *Seneca* loco *Hieronymi* in *Catal. Viror. illuſtr.* et noto Philoſophi Epitaphio: *Cura, labor, meritum* &c. ejus epiſtolare Commercium cum *Paulo* Apoſtolo ſuccedit, ſpurium illud et a nobis non ſemel relatum, atque hic integrum XIV. *Epiſto-*